

Nomine te gemini jam genitoris amo.)  
 Accessit titulus, tua quo reverentia crescat :  
 Quo doceam natum, quid sit amare patrem.  
 Q ippe tibi æquatus videor, quod parvulus isto  
 Nomine honoratum me quoque nobilitat :  
 Atque ætas quia nostra eadem : nam supparis ævi  
 Sum tibi ego, et possum fratris habere vicem.  
 Nec tantum nostris spatium interponitur annis,  
 Quanta solent alios tempora dividere.  
 Vidi ergo natales fratrum distare tot annis,  
 Quot nostros. Ævum nomina non onerant.  
 Pulchra juvena tibi senium sic jungit, ut ævum,  
 Quod prius est, maneat : quod modo, ut incipiat.  
 Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se  
 Non festinato tempore utraque daret.  
 Leniter hæc flueret, hæc non properata veniret,  
 Maturam frugem flore manente ferens.  
 Annos me nescire tuos, pater optime, testor :  
 Totque putare tuos, quot reor esse meos.  
 Nesciat hoc natus, numeret properantior hæres,  
 Testamenta magis, quam pia vota fovens :  
 Exemploque docens pravo juvenescere natos,  
 Ut nolint patres se quoque habere senes.  
 Verum ego primævo genitus genitore, fatebor  
 Supparis hæc ævi tempora gratâ mihi.  
 Debeo, quod natus. Suadet pia cura nepotis,  
 Addendum patri, quo veneremur avum.  
 Tu quoque, mi genitor, geminata vocabula gaude,  
 Nati primævi nomine factus avus.  
 Exiguum, quod avus. Faveant pia numina divum,  
 Deque nepote suo fiat avus proavus.  
 Largius et poterunt producere fata senectam :  
 Sed rata vota reor, quæ fiderata magis.

## EPISTOLA II.

*Pater ad filium; cum temporibus tyrannicis ipse Treveris remansisset, et filius a patre profectus esset. Hoc inchoatum neque impletum sic de liturariis scriptum.*

Debeo et hanc nostris, filii dulcissime, curis  
 Historiam : quamquam titulo non digna sereno  
 Anxia mœstarum fuerit querimonia rerum.  
 Jam super egelidæ stagnantia terga Mosellæ  
 Protulerat te, nate, rates : mœstique parentis  
 Oscula et amplexus disceverat invidus annis.  
 Solus ego ; et quamvis cœtu celebratus amico,  
 Solus eram : profugæque dabam pia vota carinæ,  
 Solus adhuc te, nate, videns : celerisque remulci  
 Culpabam properos adverso flumine cursus.  
 Quis fuit ille dies? non annus longior ille est,  
 Attica quem docti collegit cura Metonis.  
 Desertus, vacuis solisque exerceor Aris.  
 Nunc ego pubentes salicam de verbero frondes :  
 Gramineos nunc frango toros : viridesque per ulvas  
 Lubrica substratis vestigia libro lapillis.  
 Sic lux prima abiit ; sic altera meta diei ;  
 Sic geminas alterna rotat vertigo tenebras,  
 Sic alias : totusque mihi sic annus abiit,  
 Restituant donec tua me tibi fata parentem.  
 Hæc ego conditione licet, vel morte paciscar :

A Dum decores suprema patris, tu nate, superstes.

## EPISTOLA III.

AUSAONIUS HESPERIO.

Qualis Picenæ populator tardus olivæ  
 Clunes opimat cereas :  
 Vel qui lucentes rapuit de vitibus uvas,  
 Pendetque nexus retibus :  
 Quæ vespertinis fluitant nebuloosa sub horis,  
 Vel mane tenta roscido :  
 Tales hibernis ad te de sepibus, ipsos  
 Capi volentes, misimus,  
 Bis denos : tot enim crepero sub lucis Eoæ  
 Præceps volatus intulit.  
 Tum quas vicinæ suggestit præda lacunæ,  
 B Anates maritas junximus,  
 Remipedes, lato populates cærulea rostro,  
 Et crure rubras punico.  
 Iricolor vario pinxit quas pluma colore,  
 Collum columbis æmulas.  
 Defrudata meæ non sunt hæc fercula mensæ.  
 Vescente te, fruimur magis.  
 Vale bene, ut valeam.

## EPISTOLA IV.

*AUSAONIUS, cujus ferulam nunc sceptrâ verentur, Paganum medulis jubeo satvère THEONEM.*

Quid geris, extremis positus telluris in oris,  
 Cultor arenarum vates? cui litus arandum,  
 Oceanum finem juxta, solemque cadentem :  
 C Vilis arundinis cohibet quem pergula tectis :  
 Et tingit piceo lacrymosa colonica fumo.  
 Quid rerum, Musæque gerunt, et cantor Apollo?  
 Musæ non Helicone satæ, nec fonte caballi :  
 Sed quæ secundo de pectore Clementini  
 Inspirant vinctos aliena mente poetas.  
 Jure quidem : nam quis malit sua carmina dici,  
 Qui te securo possit proscindere risu?  
 Hæc quoque ne nostrum possint urgere pudorem,  
 Tu recita : et vere poterunt tua dicta videri.  
 Quam tamen exeres Medulorum in littore vitam?  
 Mercatusne agitas, levioe homismate captans,  
 Lusans quod mox pretiis gravis auctio vendat?  
 Albentes sevi globulos, et pinguita cæcæ  
 Pondera, Naryciamque picem, scissamque papyrum,  
 D Fumantesque olim paganica lumina tædas?  
 An majora gerens, tota regione vagantes  
 Persequeris fures, qui te, postrema timentes,  
 In partem, prædamque vocent? Tu mitis, et osor  
 Sanguinis humani condonas crimina nummis,  
 Erroremque vocas, pretiumque imponis abactis  
 Bobus, et in partem scelerum de judice transis?  
 An cum fratre vagos dumeta per avia cervos  
 Circumdās maculis, et multa indagine pinnae?  
 Aut spumantis aprî cursam clamoribus urges,  
 Subsidiisque fero? moneo tamen, usque recuses  
 Stringere fulmineo venabula cominus hosti.  
 Exemplum de fratre tunc, qui veste reducta  
 Ostentat fœdas prope turpia membra lacunas,

Perlossasque nates vicino podice nudat.  
 Inde ostentator volitat : mirentur ut ipsum  
 Gedippa, Ursinusque suus, prolesque Jovini,  
 Taurinusque, ipsum priscis heroibus æquans :  
 Qualis in Olenio victor Calidomius apro,  
 Aut Erymantheo pubes fuit Attica monstro.  
 Sed tu parce feris venatibus, et fuge nota  
 Crimina silvarum : ne sis Cinyreia proles,  
 Accedasque iterum Veneri plorandus Adonis.  
 Sic certe crinem flavus, niveusque lacertos,  
 Cæsariem rutilam per candida colla refundis :  
 Pectore sic tenero, plana sic junceus alvo,  
 Per teretes feminam gyros, surasque nitentes  
 Descendis, talos a vertice pulcher ad imos.  
 Qualis floricomâ quondam populator in Ætna,  
 Virgineas inter choreas Deoida raptam  
 Sustulit emersus stygiis fornacibus Orcus.  
 An quia venatus ob tanta pericula vitas,  
 Piscandi traheris studio? nam tota supellex  
 Dumnotini tales solita est ostendere gazas :  
 Nodosas vestes animantum Nerinorum,  
 Et jacula, et fundas, et nomina villicâ lini,  
 Colaque, et indutos terrenis vermibus hamos.  
 His opibus confise tumes? domus omnis abundat  
 Littoreis dives spoliis, referuntur ab unda  
 Carroco, letalis trygon, mollesque platessæ,  
 Urentes thynni, et male tecti spina elegati,  
 Nec duraturi post bina trihoria corvi.  
 An te carminibus juvat incestare canoras  
 Mnemosynes natas, aut tres, aut octo sorores?  
 Et quoniam huc ventum, si vis cognoscere, quid sit C  
 Inter doctrinam, deridendasque Camenas :  
 Accipe congestas mysteria frivola nugas,  
 Quas tamen explicitis nequeas dependere chartis,  
 Scillite decies non si purgeris aceto,  
 Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen :  
 Aut adsit interpres tuus,  
 Ænigmatum qui cognitor  
 Fuit meorum : cum tibi  
 Cadmi nigellas filias,  
 Melonis albam filiam,  
 Notasque furvæ sepiaë,  
 Cuidiosque nodos prodidit.  
 Nunc adsit : et certe modo  
 Præsul creatus litteris,  
 Eucleabit protinus,  
 Quod militantes scribimus.  
 Notos fingo tibi poeta versus :  
 Quos scis hendecasyllabos vocari :  
 Sed nescis modulis tribus moveri.  
 Istos composuit Phalæcus olim,  
 Qui penthemimerin habent priorem :  
 Et post semipedem duos iambos.  
 Sunt quos hexametri creant revulsi :  
 Ut penthemimeris prior locetur.  
 Tum quod bucolice tome relinquit.  
 Sunt et quos generat puella Sappho :  
 Quos primus regit Hippius secundus :  
 Ut claudat Choriambon Antibacchus.

A Sed jam non poteris, Theon, doceri :  
 Nec fas est mihi regio magistro  
 Plebeiam numeros docere pulpam.  
 Verum protinus ede, quod requiro.  
 Nil quero, nisi quod libris tenetur :  
 Et quod non opicæ tegunt papyri.  
 Quas si solveris, o poeta, nugas,  
 Totam trado tibi simul Vacunam,  
 Nec jam post metues ubique dictum,  
 Illic est ille Theon poeta falsus,  
 Bonorum mala carminum taberna.

## EPISTOLA V.

AUSONIUS *Salve caro mihi dico THEONI,  
 Versibus experiens quod volo, quodve queror.*

B Tertia fessipedes renovavit Luna juvencas,  
 Ut fugitas nostram, dulcis amice, domum.  
 Nonaginta dies sine te, charissime, traxi :  
 Huc adde æstivos : hoc mihi pene duplum est.  
 Vis novies denos dicam, deciesque novenos  
 Isse dies? anni portio quarta abiit.  
 Sexaginta horas super et duo millia centum  
 Te sine consumpsi : quo sine et hora gravis.  
 Millia bis nongenta jubet demensio legum  
 Annumerata reos per tot obire dies.  
 Jam potui Romam pedes ire, pedesque reverti,  
 Ex quo te dirimunt millia pauca mihi.  
 Scirpea Domnotoni tanti est habitatio vati?  
 Pauliacus tanti non mihi villa foret.  
 An quia per tabulam medico pugnante notatam,  
 Debita summa mihi est; ne repetamus, abes? C  
 Bis septem rutilos regale nomisma Philippos,  
 Ne tanti fuerint, perdere malo, Theon :  
 Implicitum quam te nostris interne medullis  
 Defore tam longi temporis in spatio.  
 Ergo aut prædictos jam nunc rescribe Darios;  
 Et redime, ut mora sit libera desidæ :  
 Aut alios a me totidem dabo ; dummodo cari  
 Conspicer ora viri, pauperis usque licet.  
 Puppe citus propera, sinuosaque lintea veli  
 Pande. Medullini te feret aura noti  
 Expositum subter paradâs, lectoque jacentem :  
 Corporis ut tanti non moveatur onus.  
 Unus Domnotoni te littore perferet æstus  
 Condatem ad portum : si modo deprogeres.  
 D Inque vicem venti, quotiens tua flamina cessant,  
 Remipedem jubeas protinus ire ratem :  
 Invenies præsto subjuncta petorita mulis.  
 Villa Lucani-mox poteris-aco.  
 Resciso disce componere nomine versum.  
 Lucili vatis sic imitator eris.

## EPISTOLA VI.

AUSONIUS *consul vatem resaluto THEONEM.*

Aurea mala, Theo, sed plumbea carmina mittis.  
 Unius massæ quis putet has species?  
 Unum nomen utrisque : sed est discrimen utrisque :  
 Poma ut mala voces, carmina vero mala.  
 Vale beatis nomen a divi Theon.  
 Metoche sed ista sæpe currentem indicat.

## EPISTOLA VII.

AUSONIUS THEONI, *cum ei triginta ostrea, grandia quidem, sed tam pauca misisset.*

Ostrea Baianis certantia, quæ Medulorum  
Dulcibus in stagnis reflui maris æstus opimat,  
Accepi, dilecte Theon, numerabile munus.  
Verum quot fuerint, subjecta monosticha signant.  
Quot ter luctatus cum pollice computat index.  
Geryones quot erant, decies si multiplicentur.  
Ter quot erant Phrygii numerata decennia belli.  
Aut ter ut Æolidi mensis tenet ignicomus Sol.  
Cornibus a primis quot habet vaga Cynthia noctes.  
Singula percurrit Titan quot signa diebus.  
Quotque annis sublimis agit sua secula Phœnon.  
Quot numerum annorum Vestalis virgo ministrat,  
Dardaniusque nepos regno quot protulit annos.  
Priamidæ quot erant, si bis deni retrahantur.  
Bisque viros numeres, qui fata Amphrysia servant.  
Quot genuit fetus Albana sub ilicibus sus.  
Et quot sunt asses, ubi nonaginta trientes.  
Vel quot habet unctos Vasatica rheda caballos.  
Quod si figuras fabulis adumbratas,  
Numerumque doctis involutum ambagibus  
Ignorat alto mens obesa viscere :  
Numerare saltem more vulgi ut noveris.  
In se retortas explicabo summulas.  
Ter denas, puto, quinquiesque senas.  
Vel bis quinque, dehinc, decem decemque.  
Vel senas quater, et bis adde ternas.  
Septenas quater, adde unam et unam.  
Duc binas decies, semelque denas.  
Aut ter quatuor adde bis novenis.  
Octonas quater, hinc duæ recedant.  
Binas terdecies, semel quaternas.  
Et sex adde novem vel octo septem.  
Aut septem geminis bis octo junge.  
Aut ne sim tibi pluribus molestus,  
Triginta numero fuere cunctæ.

Junctus limicolis musculus ostreis  
Primo composuit fercula prandio,  
Gratus deliciis nobilium cibus,  
Et sumptu modicus pauperibus focis.  
Non hic navifrago quæritur æquore,  
Ut crescat pretium grande periculis :  
Sed primore vado, post refugum mare,  
Algo legitur littore concolor.  
Nam testæ duplicis conditur in specu,  
Quæ ferventis aquæ fota vaporibus,  
Carnem lacteoli visceris indicat.

Sed damnosa nimis panditur area.  
Fac campum replicas Musa papyrium :  
Nec jam fssipedis per calami vias  
Grassetur Cnidæ sulcus arundinis,  
Pingens aridulæ subdita paginæ,  
Cadmī filioli atricoloribus.  
Aut cunctis pariter versibus oblinat  
Furvam lacticolor spongia sepiam.

Parcamus vitio Dumnotinæ domus :  
Ne sit charta mihi carior ostreis.

## A

## EPISTOLA VIII.

AUSONIUS AXIO PAULO RHETORI SALUTEM.

Tandem eluctati retinacula blanda morarum,  
Burdigalæ molles liquimus illecebras,  
Santoniamque urbem vicino accessimus agro.  
Quod tibi si gratum est, optime Paule, proba.  
Cornipedes rapiant imposta petorita mulæ :  
Vel cisio trijugi, si placet, insilias :  
Vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum  
Conscendas, propere dummodo jam venias.  
Instantis revocant quia nos solemnia Paschæ :  
Libera nec nobis est mora desidiæ.  
Perfer in excursu vel terjuga millia epodon,  
Vel falsas lites, quas schola vestra serit.  
Nobiscum invenies nullas. Quia liquimus istic  
B Nugarum veteres cum sale reliquias.

## EPISTOLA IX.

AUSONIUS PAULO.

Ostrea nobilium cœnis, sumptuque nepotum  
Cognita, diversoque maris defensa profundo,  
Aut refugis nudata vadis, aut scrupca subter  
Antra, et muriceis scopulorum mersa lacunis,  
Quæ viridis muscus, quæ dedecor alga recondit,  
Quæ testis concreta suis, ceu saxa cohærent,  
Quæ mutata loco, pingui mox condita limo,  
Nutrit secretus conclusæ uliginis humor,  
Enumerare jubes, vetus o mihi, Paule, sodalis,  
Assuefacte meis joculari carmine nugis,  
C Aggrediar; quamvis curam non ista senilem  
Sollicitent, frugique viro dignanda putentur.  
Nam mihi non saliare epulum, non cœna dapalis,  
Qualem Penelopes nebulonum mensa procorum,  
Alcinoique habuit nitidæ cutis uncta juventus.  
Enumerabo tamen, famam testesque secutus,  
Pro studiis hominum semper diversa probantum.  
Sed mihi præ cunctis ditissima, quæ Medulorum  
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen  
Usque ad Cæsareas tulit admiratio mensas,  
Non laudata minus nostri quam gloria vini.  
Hæc inter cunctas palmam meruere priorem  
Omnibus ex longo cedentibus. Ita et opimi ?  
Visceris, et nivei, dulcique tenerrima succo,  
Miscent æquoreum tenui sale tincta saporem.  
Proxima sint quævis, sed longe proxima multo,  
D Ex intervallo: quæ Massiliensia portu,  
Quæ Narbo ad Veneris nutrit; cultuque carentia  
Hellespontiaci quæ protegit æquor Abydi :  
Vel quæ Baianis pendent fluitantia pælis :  
Santonico quæ tecta salo: quæ nota Genonis :  
Aut Eborum mixtus pelago quæ protegit amnis,  
Ut multo jaceant a garum obducta recessu ;  
Aspera quæ testis, et dulcisa farris opimæ.  
Sunt et Aremorici qui laudent ostrea ponti :  
Et quæ Pictonici legit accola littoris : et quæ  
Mira Caledonius nonnumquam detegit æstus.  
Accedunt, quæ (fama recens) Byzantia subter  
Littora, et insana generata Propontidis acta,  
Promoti celebrata ducis de nomine, laudant.

Hæc tibi non vates, non historicus, neque toto  
Orbe vagus conviva loquor, sed tradita multis :  
Ut solitum, quotiens dextræ invitatio mensæ  
Solicitat lenem comi sermone Lyæum.  
Hæc non per vulgum mihi cognita, perque popinas.  
Aut parasitorum collegia Plautinorum :  
Sed, festos quia sæpe dies partim ipse meorum  
Excolui, inque vicem conviva vocatus adivi,  
Natalis si forte fuit solemnis amico,  
Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum,  
Audiui : meminique bonos laudare frequentes.

## EPISTOLA X.

AUSONIUS PAULO.

Si qua fides falsis umquam est adhibenda poetis,  
Nec plasma semper allinunt,  
Paule, Camenarum celeberrime Castaliarum  
Alumne quondam, nunc pater,  
Aut avus, aut proavis antiquior, ut fuit olim  
Tartessorum regulus :  
Intemerata tibi mancant promissa memento.  
Phœbus jubet verum loqui.  
Et si Pierias patitur lirare sorores,  
Numquam ipse torquet ἀλᾶα.  
Te quoque ne pigeat consponsi fœderis : et jam  
Citus veni remo, aut rota.  
Æquoris undosi qua multiplicata recursu,  
Garumna pontum provocat.  
Aut iteratarum qua glareâ trita viarum,  
Fert militarem ad Blaviam.  
Nos etenim primis sanctum post Pascha diebus  
Avenus agrum visere.  
Nam populi cœtus, et compita sordida rixis  
Fastidientes, cernimus  
Angustas fervere vias, et congrege vulgo  
Nomen plateas perdere.  
Turbida congestis referitur vocibus Echo,  
Tene, feri, duc, da, cave :  
Sns lutulenta fugit, rabidus canis impete sævo,  
Et impares plastro boves.  
Nec prodest penetrale domus et operta subire :  
Per tecta clauiores meant.  
Hæc, et quæ possunt placidos offendere mores,  
Cogunt relinquere mœnia :  
Dulcia secreti repetantur ut otia ruris  
Nugis amœna seriis.  
Tempora disponas ubi tu tua : jusque tuum sit,  
Ut nil agas, vel quod voles.  
Ad quæ si properas, tota cum merce tuarum  
Veni Camenarum citus.  
Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos,  
Socci et colurni musicam,  
Carpentis impone tuis : nam tota supellex  
Vatum piorum chartea est.  
Nobiscum invenies catenoplia, si libet uti,  
Non Pœna, sed Græca fide.

*Versus meos utili et conscio sibi pudore celatos carmine tuo et sermone præmissis dum putas elici, repressisti. Nam qui ipse facundus, et musicus editioni*

*A alienæ prolectat, audaciam consilio, quo suadet, ex-terret. Tegat oportet auditor doctrinam suam, qui velit ad dicendum sollicitat trepidantem : nec emerita adversum tyrunculos arma concitiat veterana calliditas. Sensit hoc Venus de pulchritudinis palma diu ambiguo ampliata judicio. Pudenter enim ut apud patrem, velata certaverat : neque deterrebat æmulas ornatus æqualis. At postquam in pastoris examen deducta est lis dearum, qualis emererat mari, aut cum Marte convenerat, et consternavit arbitrum, et contententium certamen oppressit. Ergo nisi delirus tuus in te tenui non tenuiter laboratus opuscula mea, quæ proni studueras, retardasset, jamdudum ego, ut palmes audacior, in hybernas adhuc curas improbum germen egissem, periculum judicii gravis inconsulta festinatione subiturus.*  
**B** Denique dissonum, quem colonomon existimo proprie a philologis appellatum; accrevi, ut jubebas recenti versuum tuorum lectione non ausus ea quæ tibi jam cursim fuerant recitata, transmissi. Etenim hoc poposcisti, atque id ego malui, tu ut tua culpa ad eundem lapidem bis offenderes, ego autem, quæcumque fortuna esset, semel erubescerem.

## EPISTOLA XI.

AUSONIUS PAULO salutem.

*Vide, mi Paule, quam ineptum lacesieris, in verbis rudem, in eloquendo hiulcum, a propositis discrepantem, in versibus concinnationis expertem, in cavillando natura invenustum nec arte conditum, dilutis salis et fellis ignavi, nec de mimo planipedem, nec de comædiis histrionem. Ac nisi hæc a nobis missa ipse lecturus esses, etiam de pronuntiatione rideres.*  
**C** Nunc commodiore fato sunt, quod licet apud nos genuina, apud te erunt adoptiva.

Vinum cum hijugo parabo plastro  
Primo tempore Santonos vehendum,  
Ovum tu quoque passeris marini,  
Quod nunc promus ait procul relictum  
In fundo patriæ Bigerritanæ.

## EPISTOLA XII.

ΑΥΣΟΝΙΟΣ ΠΑΥΛΩ.

*Ἑλλαδικῆς μετέχων Μούσης, Latineque Camenæ, Ἀξίῳ Αὐσονίῳ sermone alludo bilingui.*  
Musæ, quid facimus? τί κενάσιν ἐπ' ἑλίσιον αὐτῶς  
Ludimus ἀφραδίησιν, ἐν ἡματι γηράσκοντες :  
**D** Σαντονικοῖς καιροῖσιν ὅπῃ κρύος ἄσπετόν ἐστιν,  
Erramus gelido τρομεροὶ rigidique poetæ.  
Περῖδων τερανοπλοκάμων θεράποντες inertes.  
Πάντα δ' ἔχει παγετός τε pedum καὶ κρυμὸς ὀδόντων,  
Θαλπυρῆ quia nulla πελεῖ χιονώδει χώρῃ,  
Et duplicant frigus ψυχρὰ carmina μητιώωντες.  
Ἀρχόμενος δ' ἄρα μῆτιν ἰώϊα. . . .  
Primitias Παύλῳ nostro πέμψω μελιθεῖς.  
Μνημοσύνης κοηδεμνοκόμου πολὺ inelyta τέκνα  
Ἐννία verbosæ, κρυσσοτέφανοί τε puellæ.  
Ἐνθ' ἄγε μοι τολυπέυετ' ἔπη, κουρῶδεια μολπῆν.  
Φρόντιβυς ἡμετέραις πτερίνον præferτε libellum  
Ἰματάρ.: στίχων. . . .  
Παύλῳ ἐφαρμόζητε μεμυγμένον. . . ὠδήν.

Ὁὐ γάρ μοι θεμῆς ἐστὶν in hac regione μένουτι  
 Ἄξιον ab nostris ἐπιδευῆα esse καμῆναις.  
 κείνος ἐμοὶ πάντων μέτοχος, qui seria nostra,  
 Qui joca παντοδαπῆ novit tractare καλίστρη.  
 καὶ νῦν sepositus μοναχῶ ἐνὶ rure κρεβέννω,  
 Ἄσταφυλῶ ἐνὶ χώρῳ, habet θυμαλγέα λίσχην,  
 Ὅυτε φίλοις ἐτάροις, nec mensæ accommodus ulli,  
 Ὅττι ἀθελξινόοις... μὲν φάτο μούσαις.  
 Jam satis, ὦ φίλε Παῦλε, πόνων ἀπεπειρήθημεν  
 Ἐν τε ἱσθῶ causais τε καὶ ingrataῖσι καθέδραις,  
 Ῥητορικοῖς Ἰουδοισι καὶ ἔπλετο οὐδὲν ὄνειαρ.  
 Ἄλλ' ἤδη κείνος μὲν ἄπας ἰουvenάλιος ἰδρώς  
 Ἐκπέχεται μελέων τρομερῆ λάβε βλέμμα senectus,  
 καὶ minus in sumptum δαπανάς levis arca ministrat.  
 Ὁὐ γάρ ἔχει ἀπάλαμνος ἀνὴρ...  
 κλεινὸς οὐθ' ὁ γέρων...  
 Æquanimus si qua fueris, ἐς πάντα μάλ' εὔθειν  
 Malueris, λήθη δὲ πόνου ἔσσε', ἠδὲ πενίης.  
 κεῖνο δὲ παγκάλλιστον, ut omnibus undique mensis  
 Ἐν φιάλῃ ἢ σὺν δέπαι συνοπάου μουσείων  
 θυμοῦ ἀκηχεμένου solatia blanda requiras.  
 Hic erit et fructus Δημήτερος ἀγλαοκάρπου.  
 Ἐνθα σοὶ εἶδαρ ἔοι, πολυχανδέα pocula θέντι  
 Κερυῶν, αἶκε θέλοις, νίκταρ vinoιο bonoιο.  
 Ambo igitur nostræ παραλίξομεν otia vitæ,  
 Dum res, et ætas, et sorgrum  
 Νήματα πορφύρα πλέκονται.

## EPISTOLA XIII.

AUSONIOΣ ΠΑΥΛΩ.

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρεταλόγῳ ἠδὲ ποιητῇ  
 Αὐσονίῳ Παύλῳ σπεῦδε φίλους ἰδέειν.

## EPISTOLA XIV.

AUSONIUS PAULO.

Æquoream liqui te propter, amice, Garumnam.  
 Te propter campos incolo Santonicos.  
 Congressus igitur nostros pete. Si tibi cura,  
 Quæ mihi, conspectu jam potiere meo.  
 Sed tantum appropera, quantum pote corpore, et

[ ævo :

Ut salvum videam, sat cito te video.  
 Si post infaustas vigor integratus habenas,  
 Et rediit membris jam sua mobilitas :  
 Si riguam lætis recolis Pimpleida Musis,  
 Jam vates, et non flagrifer Automedon :  
 Pelle soporiferi senium, nubemque veterni :  
 Atque alacri mediam carpe vigore viam.  
 Sed cisium, aut pigrum cautus conscende veredum.  
 Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi.  
 Canteri moneo male nota petorita vites.  
 Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.  
 Sic tibi sint Musæ faciles, meditatio prompta,  
 Et memor : et liquidi mel fluat eloquii.  
 Sic, qui venalis tam longa ætate Crebennas  
 Non habet emptorem, sit tibi pro pretio.  
 Attamen ut citius venias, leviusque vehare,  
 Historiam, nimos, carmina, linque domi :  
 Grande onus in Musis; tot sæcula condita chartis,  
 Quæ sua vix tolerant tempora, nostra gravant.

A Nobiscum invenies ἐπέων πολυμορφία πλάθῶν,

Γράμματικῶν τε πλοκάς καὶ λογοδαϊδαλίην,  
 Δάκτυλον ἥρδον, καὶ αἰοισπόλον χοροίαμβον,  
 Ἐνὺν Θαλίης τε χόρῳ σύρματα Τερψιχόρης.  
 Ἐνωτατικῶν τε πιναιδῶν, ἰωνικῶν ἀμφοτέρωθεν,  
 Ῥυθμῶν Πενδικρικῶν ἔννομον εὐεπίτη  
 Ἐλιπόδην σκάζοντα, καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον,  
 Ὅκτῶ Θουκυθίδου, ἔννεα Ἡροδότου.  
 Ῥητορικῶν θαυμαστά σοφῶν ἐρικύδεα φύλα  
 Πάντα μάλ', αἶκε θέλοις, καὶ πλέον, αἶκε θέλοις.  
 Hoc tibi de nostris ἀσπαστικῶν offero libris.  
 Vale. Valere si voles me, jam veni.

## EPISTOLA XV.

AUSONIUS TETRADIO salutem.

B O qui venustus uberi facundia  
 Sales opimas, Teiradi :  
 Cavesque, ne sit tristis et dulci carens  
 Amara concinnatio :  
 Qui felle carmen atque melle temperans,  
 Torpere Musas non sinis,  
 Pariterque fucas, quæque gustu ignava sunt,  
 Et quæ sapore tristia :  
 Rudes Camenas qui Suessæ prævenis :  
 Ævoque cedis, non stylo.  
 Cur me propinquum Santonorum mœnibus  
 Declinas, ut Lucas boves  
 Olim resumpto præferoces prælio  
 Fugit juvenus Romula ?  
 Non ut tigris te, non leonis impetu,  
 C Amore sed charo expeto.  
 Videre alumni gestio vultus mei,  
 Et indole optata frui.  
 Invitus olim devoravi absentia  
 Necessitatem pristinae,  
 Quondam docendi munere adstrictum gravi  
 Iculisma cum te absconderet.  
 Et invidebam devio, ac solo loco  
 Opes camenarum tegi.  
 At nunc frequentes, atque claros, nec procul,  
 Cum floreas inter viros :  
 Tibique nostras ventus auras deferat,  
 Auresque sermo verberet :  
 Cur me supino pectoris fastu tumens  
 Spernis poetam consulem ?  
 D Tuique amantem, teque mirantem, ac tua  
 Desiderantem carmina,  
 Oblitus alto negligis fastidio ?  
 Plectendus exemplo tuo :  
 Ni stabilis ævo pectoris nostri fides  
 Quamquam recusantes amet.  
 Vale : valere si voles me : pervola  
 Cum scrinio et musis tuis.

## EPISTOLA XVI.

AUSONIUS PROBŌ præfecto prætorio salutem.

Oblata per antiquarios mora, scio promissi mei gratiam expectatione consumptam, Probe vir optime. In secundis tamen habeo non defegisse Apologos Titland,

et Nepotis chronica quasi alios apologos (nam et ipsa A  
instar sunt fabularum) ad nobilitatem tuam misi,  
gaudens atque etiam glorians fore aliquid, quod ad in-  
stitutionem tuorum sedulitatis meæ studio conferatur.  
Libello tamen apologorum antetuli paucos epodos, stu-  
dio in te observantiæ meæ impudentissimos: paucos  
quidem, ut ego loquax judico: verum tu cum legeris,  
etiam nimium multos putabis. Adjuro benevolentiam  
tuam verecundiæ meæ testem, eos mihi subita persua-  
sione fluxisse. (Nam quis hos diu cogitaret?) quod  
sane ipsi per se probabunt. Fors fuit, ut si mihi vita  
suppetet, aliquid rerum tuarum quamvis incultus ex-  
spoliam: quod tu etsi lectum non probes, scriptum  
boni consules. Cumque ego imitatus sim vesaniam  
Chærii, tu ignoscas magnanimitate Alexandri. Hi igitur, ut Plautus ait, interim erunt antilogium fabula- B  
rum, garruli et deceptores, qui compositi ad honorifi-  
centiæ obsequium, ad aurium convicium concurrerunt.  
Vale, et me dilige.

Ad librum: ut eat ad Probum.

Perge, o libelle, Sirmiam,  
Et dic hero meo, ac tuo,  
Ave atque salve plurimum.  
Quis iste sit nobis herus,  
Nescis, libelle? an, cum scias,  
Libenter audis, quod juvat?  
Possem absolute dicere:  
Sed dulcius circumloquar,  
Diuque fando, perfruar.  
Hunc dico, qui lingua potens, C  
Minorem Atridam præterit,  
Orando pauca et musica.  
Qui grandines Ulixel,  
Mellifluentem Nestora,  
Concinnatorem et Tullium,  
Qui solus, exceptis tribus  
Heris, herorum primus est,  
Prætorioque maximus.  
Dico hunc senati præselem,  
Præfectum eandem, et consulem  
(Nam consul æternum cluet),  
Collegam Augusti consulis,  
Columen curulis Romulæ,  
Primum in secundis fascibus.  
Nam primus e cunctis erit D  
Consul, secundus principii.  
Generi hic superstes aureo,  
Satôrque proles aureæ,  
Convincit Ascraeum senem.  
Qui sæculum omne ferreum:  
Qui vincit ævi injuriam;  
Stirpis novator Annæ:  
Paribusque comit infulis  
Aniciorum stemmata.  
Probum loquor. Scis optime,  
Quem nemo fando dixerit,  
Qui non prius laudaverit.  
Perge, o libelle, et utere

Felicitate intermina.  
Quin et require, si sinet  
Tenore fari obnoxio:  
Age vera proles Romuli,  
Effare causam nominis.  
Utrumne mores hoc tui  
Nomen dedere, an nomen hoc  
Secuta mortum regula?  
An ille venturi sciens  
Mundi supremus arbiter,  
Qualem creavit moribus,  
Jussit vocari nomine?  
Nomen datum præconiis,  
Vitæque testimonio.

Libelle felix: quem sinu  
Vir tantus evolvit suo,  
Nec occupari tempora  
Grato queretur otio.  
Quem mille cum vocis modis,  
Leni aut susurro impertiet:  
Cuique vigiles luminum  
Vacare dignabunt coræ.  
Quem mente, et aure conscis,  
Quibusdam omissis, pelleget.  
Quæcumque fortuna est tibi,  
Perge, o libelle, et utere  
Felicitate intermina.  
Dic me valere, et vivere.  
Dic vivere ex voto pio,  
Sanctis precantem vocibus,  
Ut quem Curulis proxima  
Collegio nati dedit:  
Hunc rursus Augustus prior  
Suis perennet fascibus.  
Subnecte et illud leniter:  
Apologos, en, misit tibi  
Ab usque Rhæni limite  
Ausonius, nomen Italum,  
Præceptor Augusti tui,  
Æsopiam trimetriam:  
Quam vertit exili stylo.  
Pedestre concinnans opus,  
Fandi Titianus artifex.  
Ut hic avi ac patris decus  
Mixto refulgens sanguine,  
Probianoque, ac Anicio;  
(Ut quondam in Albæ mœnibus  
Supremus Ænea satus,  
Silvius Iulius miscuit.)  
Sic iste, qui natus tuus,  
Flos flosculorum Romuli  
Nutricis inter lemmata,  
Lallique somniferos modos,  
Suescat peritis fabulis  
Simul joculari, et discere.  
Et adde votum, quod pio  
Concepimus rei Deo:  
Ut genitor Augustus dedit  
Collegio nati Probum:

Sic Gratianus hunc novum  
 Stirpi futuræ copulet.  
 Rata sunt futura, quæ loquor.  
 Sic merita, sic fatum jubet.  
 Sed jam ut loquatur Julius,  
 Fandi modum invita accipe  
 Volucripes dimetria.  
 Aveque dicto, dic, Vale.

## EPISTOLA XVII.

*Ad URSULUM, grammaticum Trevirorum: cui strenas kalendis Januariis ab imperatore non datas reddi fecit.*

Primus jucundi fuit hic tibi fructus honoris,  
 Augustæ faustum munus habere manus.  
 Proximus ex longo gradus est, Quæstoris amici  
 Curam pro strenis excubuisse tuis.  
 Ergo, interceptos regale nomisma Philippos  
 Accipe tot numero, quot duo Geryones.  
 Quot terni bijuges: demptoque triente Camenæ:  
 Quotque doces horis, quotque domi resides.  
 Osiâ quot pro parte aperit stridentia Circus:  
 Excepto, medium quod patet ad stadium.  
 Quot pedibus gradiuntur apes, et versus Homeri:  
 Quotque horis pelagus profluit, aut refluit.  
 Protulit in scenam quot dramata fabellarum  
 Arcadiæ medio qui jacet in gremio.  
 Vel quot juncturas geometrica forma favorum  
 Conserit extremis omnibus, et mediis.  
 Quot telios primus numeris, solusque probatur:  
 Quot par, atque impar partibus æquiparat.  
 Bis ternos, et ter binos qui conserit unus:  
 Qui solus totidem congeminatus habet.  
 Quot faciunt juncti subterque supraque locati,  
 Qui numerant Hyadas, Pleiadasque simul.  
 . . . . .  
 Ursule, collega nobilis Harmonio.  
 Harmonio, quem Claranus, quem Scaurus, et Asper,  
 Quem sibi conferret Varro, priorque Crates,  
 Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,  
 Quique notas spuris versibus apposuit:  
 Cecropiæ commune decus, latiniæque camenæ,  
 Solus qui Chium miscet, et Ammineum,

## EPISTOLA XVIII.

AUSONIUS PONTIO PAULINO.

Condiderat jam solis equos Tartessia Calpe:  
 Stridebatque freto Titan insignis Ibero:  
 Jam succedentes quatiebat Luna juvencas;  
 Vinceret ut tenebras radiis, velut æmula fratris.  
 Jam volucres, hominumque genus superabile curis,  
 Mulcebant placidi tranquilla obliviam somni.  
 Transierant idus, medius suprema decembris  
 Tempora venturo propebat jungere Jano.  
 Et nonas decimas ab se nox longa kalendas  
 Jugiter acciri celebranda ad festa jubebat.

*Nescis, puto, quid velim tot versibus dicere; medius fidius neque ipse bene intelligo: tamen suspicor. Jam prima nox erat ante diem nonum decimum calendarum*

*A Januariatum, cum reddite sunt mihi litteræ tuæ oppido quam litteratæ. His longe jucundissimum poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coegisti, tanta elegantia, solus ut mihi videre assecutus, quod contra verum naturam est, brevis ut obscura non esset. In his versibus ego ista cognovi.*

Europamque Asiamque duo vel maxima terræ  
 Membra: quibus Libyam dubie Sallustius addit  
 Europæ adjunctam, possit cum tertia dici:  
 Regnatas multis, quos fama oblitterat: et quos  
 Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ,  
 Illibanum, Numidamque Avelim, Parthumque Vono-  
 Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina regum. [nem,  
 B Quique magos docuit mysteria vana Necepsus:  
 Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

*Hæc tu quam perite, et concinne, quam modulate, et dulciter, ita juxta naturam Romanorum accentuum enuntiasti, ut tamen veris, ac primigeniis vocibus sua fastigia non perirent. Jam quid de eloquentia dicam? liquide adjurare possum, nullum tibi ad poeticam facultiam Romanæ juventutis æquari. Certe ita mihi videris. Si erro, pater sum, fer me: et noli exigere judicium, obstante pietate. Verum cum pie diligam, sincere ac severe judico. Affice me, oro, tali munere frequenter: quo et oblector, et honoror. Accessit tibi ad partem poeticam mellea modulatio. Quid enim aliud agunt,*

C Audax Icario qui fecit nomina ponto,  
 Et qui Chalcidicas moderate enavit ad arces,

*nisi ut et vegetam, et sublimem alacritatem tuam, temeritatem voces: me vero, et consultum, et quem filius debeat imitari, salutari prudentia præditum dicas? Quod equidem contra est. Nam tu summa sic appetis, ut non decidas: senectus mea satis habet, si consistat. Hæc ad te breviter, et illico, vesperis illius secuto mane dictavi. Ita enim tabellarius tuus, ut epistolam referret, instabat. Nam si mihi otium fuerit, oblectabile negotium erit ad te prolixius delirare, te ut eliciam, mihi ut satisfaciam. Vale.*

## EPISTOLA XIX.

D PAULINO AUSONIUS. Metrum sic suasit, ut esses  
 Tu prior, et nomen prægrederere meum.  
 Quamquam et factorum titulo prior, et tua Romæ  
 Præcessit nostrum sella curulis ebur.  
 Et quæ jam dudum tibi palma poetica pollet.  
 Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.  
 Longævæ tantum superamus honore senectæ.  
 Quid refert? cornix non ideo ante cycnum.  
 Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,  
 Vincit centum oculos, regie pave, tuos.  
 Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo.  
 Assurgit Musæ nostra Camena tuæ.  
 Vive, vale: et totidem venturos congere Janos,  
 Quot tuus, aut noster conseruere patres.

## EPISTOLA XX.

AUSONIUS PAULINO SUO salutem.

*Quanto me affectit beneficio, non delata quidem, sed suscepta querimonia mea, Pauline fili! veritus displicuisse oleum, quod miseris, munus iterasti: addito etiam Barcinonensis muricæ condimento cumulatius præstitisti. Scis autem me id nomen MURIÆ, quod in usu vulgi est, nec solere, nec posse dicere: cum scientissimi veterum, et Græca vocabula fastidientes, Latinum in GARI appellatione non habeant. Sed ego quocumque nomine loquar, liquor iste SOCIORUM vocatur. Vale.*

Jam patinas implebo meas, ut parciore ille Majorum mensis appararia succus inundet.

*Quid autem tam amabile, tamque hospitale, quam quod tu, ut me participes, delicias tuas in ipsa primitiarum novitate defraudas? o melle dulciore, o gratiæ venustate festivior, o ab omnibus patrio stringente complexu! Sed hæc, atque alia hujusmodi documenta liberalis animi, alieni fortasse, et aliquando, quamvis rarius: illud de epistolarum tuarum eruditione, de poematis jucunditate, de inventione, et concinnatione, juro omnia, nulli umquam imitabile futurum, etsi fateatur imitandum. De quo opusculo, ut jubes, faciam. Exquisitius universa limabo: et quamvis per te manus summa contigerit, cælum superfluæ expolitionis adhibebo: magis ut tibi parcam, quam ut perfectis aliquid adjiciam. Interea tamen, ne sine corollario poetico tabellarius tuus rediret, paucis iambicis præcludendum putavi: dum illud, quod a me heroico metro desideras, inchoatur. Isti tamen, ita te et Hesperium saluos habeam, quod spatio lucubratiunculæ unius effusi quamquam hoc ipsi de se probabunt, tamen nihil diligentiae ulterioris habuerunt. Vale.*

Iambe Parthis, et Cydonum spiculis,  
Iambe pinnis alitum velocior,  
Padi ruentis impetu torrentior,  
Magna sonoræ grandinis vi densior,  
Flammis corusci fulminis vibrator,  
Jam nunc per auras Persei talaribus,  
Petasoque ditis Arcados vectus, vola.  
Si vera fama est Ihippocrene, quam pedis  
Pulsu citatam cornipes fudit fremens:  
Tu fonte in ipso procreatus Pegasi,  
Primus novorum metra junxisti pedum:  
Illicque musis concinentibus novem,  
Cædem in draconis concitasti Delium.  
Fer hanc salutem præpes et volucripes  
Paulini ad usque mœnia, Hebromagum loquor.  
Et protinus, jam si resumptis viribus  
Alacri relecti corporis motu viget,  
Salvere jussum mox reposece mutuum.  
Nihil moreris: jamque dum loquor, redi,  
Imitatus illum stirpis auctorem tuæ.  
Triplici furentem qui Chimæram incendio  
Supervolvit, tutus igne proximo.  
Dic et Valere: dic, Avere te jubet

**A** Amicus, et vicinus, et fautor tuus,  
Honoris auctor, altor ingeni tui.  
Dic et magister, dic parens, dic omnia  
Blanda atque sancta charitatis nomina.  
Aveque dicto, dic Vale, et actutum redi.  
Quod si rogabit, quid super scriptis novis  
Maturus ævi, nec rudis dijudicem:  
Nescire dices, sed paratum jam fore  
Heroicorum versuum plenum essedum.  
Cui subjugabo de molarum ambagibus,  
Qui machinali saxavolvunt pondere,  
Tripedes caballos terga ruptos verbere.  
His ut vehantur tres sódales nuntii.  
Fors et rogabit, quos sódales dixeris  
Simul venire: dic, Trinodem dactylum

**B** Vidi paratum crucianti canterio:  
Spondeus illi lentipes ibat comes,  
Paribus moratur qui locis cursum ineum:  
Mihique similis, semper adversus tamen,  
Nec par, nec impar, qui Trochæus dicitur.  
Hæc fare cursim, nec moratus pervola,  
Aliquid reportans interim munusculi  
De largitate musici promptarii.

## EPISTOLA XXI.

AUSONIUS PAULINO SUO salutem.

*Multas et frequentes mihi gratiæ tuæ causas et occasio subinde nata concinnat, et naturæ tuæ facilitas benigna conciliat, Pauline fili. Nam, quia nihil, poscente me, abnuis, magis acuis procaciam, quam retundis: ut nunc quoque in causa Philonis procuratoris quondam mei experiere, qui apud Hebromanum conditis mercibus, quas per agros diversos coemit, concesso ab hominibus tuis usus hospitio immature periclitatur expelli. Quod nisi induleris, rogante me, ut et mora habitandi ad commodum suum utatur: et nauso, alique quavis navi usque ad oppidum præbita, frugis aliquantulum nostræ advehi possit, Lucantacus ut inopia liberetur mature: tota illa familia hominis litterati non ad Tullii frumentariam, sed ad Curculionem Plauti pertinebit. Hoc quo facilius impetrarem, aut quo majorem vereris molestiam, si negares, concinnatam iambis, signatamque ad te epistolam misi: ne subornatum diceres tabellarium, si ad te sine signi fide veniret. Signavi autem, non ut Plautus ait, per ceram, et linum, litterasque interpretes, sed per poeticum characterem magis notavimus, tamquam signum impressum judicares.*

Philon, meis qui villicatus prædiis,  
Ut ipse vult, epitropos;  
(Nam gloriosum Græculus nomen putat,  
Quod sermo fucat Doricus)  
Suis querelis asserit nostras preces:  
Quas ipse lentus prosequor.  
Videbis ipsum, qualis adstet cominus,  
Imago fortunæ suæ,  
Canus, comosus, hispidus, trux, attubus,  
Terentianus Phormio.



Horrens capillis ut marinus asperis  
 Echinus, aut versus mei.  
 Hic sæpe falsus messibus vegrandibus,  
 Nomen perosus villici,  
 Semente sera, sive multum præcoqua,  
 Et siderali insectia,  
 Cælum lacessens, sequæ culpæ subtrahens,  
 Reos peregit cœlites.  
 Non cultor instans, non arator gnaruris,  
 Promusque, quam condus magis,  
 Terram infidelem, nec feracem criminans,  
 Negotiari maluit.  
 Mercatur quoquo foro venalium.  
 Mutuatur ad Græcam fidem.  
 Sapiensque supra Græciæ septem viros,  
 Octavus accessit sophos.  
 Et nunc paravit triticum caseo sale,  
 Novusque pollet epporus.  
 Adit inquilinos, rura, vicos, oppida.  
 Soli et sali commercio.  
 Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate,  
 Tarnim et Garumnæ permeat.  
 Ac lucra damnis, damna mutans fraudibus,  
 Se ditat, et me pauperat.  
 Is nunc ad usque vectus Hebromagum tuam,  
 Sedem locavit mercibus.  
 . . . . .  
 Ut inde nauso devehat  
 . . . . .  
 Nostros in usus, ut refert,  
 Hunc ego paucis, ne graveris hospitem.  
 . . . . .  
 Adjutus ut mox navis auxilio tææ,  
 Ad usque portus oppidi,  
 Jam jam Perusina, et Saguntina fame,  
 Lucaniacum liberet.  
 Hoc si impetratum munus abs te accepero,  
 Prior colere, quam Ceres.  
 Triptolemon olim, sive Epimenidem vocant,  
 Aut Bulitanum Buzygen,  
 Tuo locabo postferendos nomini.  
 ¶ Nam munus hoc fiet tuum.

## EPISTOLA XXII.

AUSONIUS PAULINO salutem.

Proxima quæ nostræ fuerat querimonia chartæ,  
 Credideram, quod te, Pauline, inflectere posset,  
 Eliceretque tuam blanda objurgatio vocem.  
 Sed tu juratis velut alta silentia sacris  
 Devotus teneas, parstas in læge tacendi.  
 Non licet: anne pudet, si quis tibi jure paterno  
 Vivat amicus adhuc, maneatque obnoxius hæres?  
 Ignavos agitet talis timor; at tibi nullus  
 Sit metus: et morem missæ acceptæque salutis  
 Audacter retine; vel si tibi proditor instat,  
 Aut quæsitoreis gravior censura timetur,  
 Occurre ingenio, quo sæpe occulta teguntur.  
 Threicii quondam quam sæva licentia regis  
 Fecerat elinguem, per licia texta querelas

A Edidit, et tacitis mandavit cœlina telis.  
 Et pudibunda suos malo commisit amores  
 Virgo, nec erubuit tacituro conscia pomo.  
 Depressis scrobibus vitium regale minister  
 Credidit, idque diu texit fidissima tellus:  
 Inspirata dehinc vento cantavit arundo.  
 Lacte incide notas: arescens charta tenebit  
 Semper inaspicuas: prodentur scripta favillis.  
 Vel Lacedæmoniam scytalen imitare, libelli  
 Segmina Pergamei tereti circumdata ligno  
 Perpetuo inscribens versu; qui deinde solutus  
 Non respondentem sparso dabit ordine formas,  
 Donec consimilis ligni replicetur in orbem.  
 Innumeras possum celandi ostendere formas,  
 Et clandestinas veterum reserare loquelas,  
 B Si prodi, Pauline, times, nostræque vereris  
 Crimen amicitiae. Tanaquil tua nesciat istud.  
 Tu contemne alios; nec dedignare parentem  
 Affari verbis. Ego sum tuus altor, et ille  
 Præceptor primus, primus largitor honorum,  
 Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

## EPISTOLA XXIII.

AUSONIUS PAULINO salutem.

Discutimus, Pauline, jugum, quod certa fovebat  
 Temperies: leve quod positum, et tolerabile iunctia,  
 Tractabat paribus concordia mitis habenis,  
 Quod per tam longam seriem volventibus annis  
 Fabula non unquam, unquam querimonia movia,  
 Nulla querela loco pepulit, non ira, nec error,  
 Nec quæ compositis malesuadæ credula causis,  
 C Concinnat verisimilis suspicio culpas.  
 Tana placidum, tana mite jugum: quod uterque pa-  
 rentes

Ad senium nostri traxere ab origine vitæ:  
 Impositumque piis hæredibus, usque manere  
 Optarunt, dum longa dies dissolveret ævum.  
 Et mansit, dum læta fides, nec cura laborat  
 Officii servare vices: sed sponte feruntur  
 Incustoditum sibi continuantia cursum.  
 Hoc tam mite jugum docili cervice subireat  
 Martis equi, stabuloque feri Diomedis abacti:  
 Et qui mutatis ignoti solis habenis  
 Fulmineum Phaethonta Pado mersere jugales.  
 Discutimus, Pauline, tamen: nec culpa duorum  
 Ista, sed unius tantum tua: namque ego semper  
 D Contenta cervice feram; consorte laborum  
 Destitutor; nec tam promptum gestata duobus  
 Unum deficiente pari perferre sodalem.  
 Non animus, viresque labant: sed iniqua ferendo  
 Conditio est oneri, eum pondus utrumque relicto  
 Ingruit; acceduntque alienæ pondera libræ.  
 Sic pars ægra hominis trahit ad contagia sanam  
 Corpus: et exigui quamvis discrimine membri,  
 Tota per innumeros artus compago vacillat.  
 Obruar usque tamen, veteris ne desit amici  
 Me durante fides: memorique ut Axæ sub ævo  
 Restituant profugum solatia casta sodalem.  
 Impie, Pirithoo disjungere Thœsea possis,  
 Euryalumque suo socium scernere Niso.

Te suadente fugam, Pylades liquisset Orestem;  
 Nec custodisset Siculus vadimonia Damon.  
 Quantum oblectamen populi, quæ vota bonorum  
 Sperato fraudata bono? Gratantia cuncti  
 Verba loquebantur; jam nomina nostra parabant  
 Inserere antiquis ævi mellioris amicis;  
 Cedebat Pylades: Phrygit quoque gloria Nisi  
 Jam minor, et promissa obiens vadimonia Damon.  
 Nos documenta magis felicia: qualia magnus  
 Scipio, longævique dedit sapientia Læli;  
 Nos studiis animisque iisdem, miracula cunctis:  
 Hoc majora, pares fuimus quod dispere in ævo.  
 Oryx illa jugi fatalis solvere lora  
 Pellæum potuisse ducem reor, abdita opertis  
 Principis, et utroque caput celantia nodo.  
 Grande aliquid verbum nimirum diximus, ut se  
 Inferret nimis vindex Rhamnusia votis;  
 Arsacidæ ut quondam regis non læta triumphis  
 Grandia verba premensATRIX dea Medica belli  
 Sistere Cæcropidum in terris monumenta parant  
 Obstitit: et Graio jam jam agenda tropæo,  
 Ultra etiam victis Nemeis stetit Attica Persis.  
 Quæ tibi Romulidas proceres vexare libido est?  
 In Medos, Arabasque tuos per nubila, et atrum  
 Perge chaos. Romana procul tibi nomina sunt.  
 Illic quære alios oppugnatura sodales:  
 Livor ubi iste tuus, ferrugineumque venenum  
 Opportuna tuis inimicis pectora fucis.  
 Paulinum, Ausoniumque, viros, quos sacra Quirini  
 Purpura, et auratus trabes velavit amictus,  
 Non decet insidiis peregrinæ cedere divæ.  
 Quid queror, Eoque insector crimina monstri?  
 Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit  
 Barcino, me bimaribus juga ninguida Pyrenæi.  
 Mœnibus e patriis forsam quoque vestis et oris,  
 Quemque suo longe dirimat provincia tractu  
 Trans montes, solemque alium; trans flumina et urbes,  
 Et quod terrarum cœlique extenditur inter  
 Emeritensis Anæ, latæque fluentia Garumnæ.  
 Quod si intervallis spatium tolerabile limes  
 Poneret exiguis (quamvis longa omnia credant,  
 Quis simul esse voluit), faceret tamen ipsa propinquos  
 Cura locos, mediis jungens distantia verbis.  
 Santonus ut sibi Burdigalam, mox jungit Aginnum  
 Illa sibi et populos Aquitanica rura colentes:  
 Utque duplex Aretas, Alpina tecta Viennæ,  
 Narbonemque pari spatio sibi conserit: et mox  
 Quincuplicem socias tibi, Martie Narbo, Tolosam.  
 Hoc mihi si spatium vicinis mœnibus esset,  
 Tunc ego te ut nostris aptum complecterer ulnis:  
 Affaretique tuas aures nostræ aura loquelæ.  
 Nunc tibi trans Alpes, et marmoream Pyrenen  
 Cæsareæ Augustæ domus est. Tyrrenica propter  
 Tarraco, et ostrifero superaddita Barcino ponto.  
 Me juga Burdigalæ, trino me flumina cœtu  
 Secerant turbis popularibus: otiaque inter  
 Vitiferi exercent colles, lætumque colonis  
 Uber agrî, tum prata virentia, tum nemus umbris  
 Mobilibus, celebrique frequens ecclesia vico;

**A** Totque mea in Novero sibi proxima prædia pago,  
 Dispositis totum vicibus variata per annum:  
 Egelidæ ut tepeant hiemes, rabidosque per æstus  
 Aspirant tenues frigus subtile aquilones:  
 Te sine sed nullus grata vice provenit annus;  
 Ver pluvium sine flore fugit; canis æstifer ardet;  
 Nulla autumnales variat Pomona saporos;  
 Effusaque hiemem contristat Aquarius unda.  
 Agnosce sine tuam, Ponti dulcissime, culpam?  
 Nam mihi certa fides, nec commutabilis umquam  
 Paulini illius veteris reverentia durat:  
 Quæque meo, atque tuo fuerat concordia patri.  
 Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixæi,  
 Aut præter dominum vibrabilis ornus Achillei,  
 Nos quoque tam longo Rhamnusia fœdere solvet.  
**B** Sed cur tam mœsto sero tristia carmina versu?  
 Et non in meliora animus se vota propinquat?  
 Sit procul iste metus: certa est fiducia nobis,  
 Si genitor natusque Dei pia verba volentum  
 Accipiat, nostro reddi te posse precatu:  
 Ne sparsam raptamque domum, lacerataque centum  
 Per dominos, veteris Paulini regna fleamus.  
 Teque vagum toto quam longa Hispania tractu,  
 Immemorem veterum, peregrinis fidere amicis,  
 Accurre, o nostrum decus, o meæ maxima cura,  
 Votis, amonibusque bonis, precibusque vocatus,  
 Appropera: dum tu juvenis, dum nostra senectus  
 Servat inexhaustum tibi gratificata vigorem.  
 Et quando iste meas impellet nuntius aures?  
 Ecce tuus Paulinus adest; jam vinguida linquit  
**C** Oppida Iberorum, Tarbellica jam tenet arva;  
 Hebromagi jam tecta subit; jam prædia fratris  
 Vicina ingreditur; jam labitur æmne secundo;  
 Jamque in conspectu est; jam prora obvertitur amni;  
 Ingressusque sui celebrata per ostia portus  
 Totum occurrentis populi prævertitur agmen:  
 Et sua præteriens, jam jam tua limina pulsat.  
 Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

## EPISTOLA XXIV.

AUSONIUS PAULINO SUO SALUTEM.

Quarta tibi hæc notos detexit epistula questus,  
 Pauline, et blando residem sermone lacessit.  
 Officium sed nulla pium mihi pagina reddit,  
 Fausta salutigeris ascribens orsa libellis.  
 Unde istam meruit non felix charta repulsam,  
**D** Spernit tam longo cessatio quam tua fastu?  
 Hostis ab hosto tamen per barbara verba salutem  
 Accipit: et Salve mediis intervenit armis.  
 Respondent et saxa homini. Percussus ab antris  
 Sermo redit, redit et nemorum vocalis imago:  
 Littorei clamant scopuli, dant murmura rivi,  
 Hyblæis apibus sepes depasta susurrat.  
 Est et arundineis modulatio musica ripis:  
 Cumque suis loquitur tremulum coma pinea ventis.  
 Incubuit foliis quoties levis Eurus acutis,  
 Dindyma Gargarico respondent cantica luco.  
 Nil mutum natura dedit: non aeris ales,  
 Quadrupesve silent, habet et sua sibilis serpens,  
 Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.

Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu  
 Icta pedum : tentis reboant cava tympana tergis :  
 Isiacos agitant Mareotica sinistra tumultus ;  
 Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,  
 In numerum quotiens radiis serientibus ictæ  
 Respondent dociles modulato verbere pelves.  
 Tu velut Œballiis habites taciturnus Amyclis,  
 Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet,  
 Obnixum, Pauline, taces. Agnosco pudorem :  
 Quod vitium fovet ipsa suum cessatio jugis.  
 Dumque pudet tacuisse diu, placet officiorum  
 Non servare vices : et amant longa otia culpam.  
 Quis prohibet Salve atque Vale brevitate parata  
 Scribere ? felicesque notas mandare libellis ?  
 Non ego longinquos ut texat pagina versus  
 Postulo : multiplicique oneres sermone tabellas.  
 Una fuit tantum, qua respondere Lacones,  
 Littera : et irato regi placuere negantes.  
 Est etenim comis brevitatis. Sic fama renatum  
 Pythagoram docuisse refert, cum multa loquaces  
 Ambiguus sereret verbis, contra omnia solus  
 Est, respondebat, vel non. O certa loquendi  
 Regula ! nam brevius nihil est, nec plenius istis :  
 Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.  
 Nemo silens placuit : multi brevitate loquendi.  
 Verum ego quo stulte dudum spatiosa locutus  
 Provehor ? ut diversa sibi vicinaque culpa est,  
 Multa loquens, et cuncta silens ! non ambo placemus :  
 Nec possum reticere, jugum quod libera numquam  
 Fert pietas, nec amat blandis postponere verum.  
 Vertisti, Pauline, tuos dulcissime mores ?  
 Vasconis hoc saltus, et ninguida Pyrenæi  
 Hospitia, et nostri facit hoc oblivio cœli ?  
 Imprecer ex merito quid non tibi, Hiberia tellus ?  
 Te populent Pœni : te perfidus Annibal urat :  
 Te belli sedem repetat Sertorius exsul.  
 Ergo meum, patriæque decus, columnæque senati,  
 Bilbilis, aut hærens scopulis, Calagorris habebit ?  
 Aut quæ dejectis juga par scruposa ruinis  
 Arida torrentem Sicorim despectat Hilerda ?  
 Hic trabeam, Pauline, tuam, Latiamque curulem  
 Constituis, patriosque isthic sepelibus honores ?  
 Quis tamen ista tibi tam longa silentia suasit ?  
 Impius ut nullos hic vocem vertat in usus :  
 Gaudia non illum vegetent : non dulcia vatum  
 Carmina, non blandæ modulatio flexa querelæ,  
 Non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,  
 Non quæ pastorum nemoralibus abdita lucis  
 Solatur nostras Echo resecula foquelas.  
 Tristis, egens, deserta colat : tacitusque pererret  
 Alpini convexa jugi : ceu dicitur olim  
 Mentis inops, cœtus hominum, et vestigia vitans,  
 Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes.  
 Hæc precor : hanc vocem, Bœotia numina, Musæ,  
 Accipite, et Latiis vatem revocate Camenis.

## EPISTOLA XXV.

AUSONIUS SYMMACHO.

*Modo intelligo, quam mellea res sit oratio, quam de-*

*A lenifica, et quam suada sacundia. Persuasisti mihi quod epistolæ meæ apud Capuam tibi reddita concinnatio inhumana non esset. Sed hoc non diutius, quam dum epistolam tuam legi, quæ me blanditiis inhiantem tuis, velut succo nectaris delibuta, ducit. Ubi vero chartulam pono, et meipsum interrogo, tum absinthium meum resipit, et circumlita melle tuo pocula deprehendo. Si vero, id quod sæpe facio, ad epistolam tuam redii, rursus illicior, et rursum illi suavissimus, ille floridus tui sermonis affatus, deposita lectione, vanescit, et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. Hoc me velut acrius bractæ fucus, aut picta nebula, non longius, quam dum videtur, oblectat : Chamæleonis bestiolæ vice, quæ de subjectis sumit colorem. Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea : et tu*  
**B** *me audes sacundissimorum hominum laude dignari ? tu, inquam mihi ista, qui te ultra emendationem omnium protulisti ? aut quisquam ita nitet, ut comparatus tibi non sordeat ? Quis ita ad Æsopi venustatem, quis ad sophisticas Isocratis conclusiones, quis ad enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem nostri Maronis accedat ? quis ita affectet singula, ut tu impleas omnia ? Quid enim aliud es, quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio ? Hæc, domine mi fili Symmache, non vereor, ne in te blandius dicta videantur esse quam verius. Et expertus es fidem meam mentis atque dictorum, dum in comitatu degimus ambo ævo dispari : ubi tu veteris militiæ præmia tyro meruisti, ego tyrocinium jam veteranus exercui. In comitatu tibi verus fui, nedum me peregre*  
**C** *existimes composita fabulari. In comitatu, inquam, qui frontes hominum operit, mentes tegit, ibi me et parentem, et amicum, et si quid utroque charius est, chariorem fuisse sensisti. Sed abeamus ab his, ne isthæc commemoratio ad illam Sosia formidinem videatur accedere. Illud quod pene præterii, quanta affectione addidisti ? ut ad te didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem. Ego te docebo docendus adhuc, si essem id ætatis, ut discerem ? aut ego te vegetum, atque alacrem commonebo ? eadem opera et musas hortabor, ut cantant, et maria ut effluant, et auras ut vigeant, et ignes ut caleant admonebo : aut si quid invitiis quoque nobis natura fit, superfluous instigator agitato. Sat est unius erroris : quod aliquid meorum me penitente vulgatum est : quod*  
**D** *bona fortuna in manus amicorum incidit. Nam si contra id evenisset, nec tu mihi persuaderes placere me posse. Hæc ad litteras tuas responsa sint : cætera quæ noscere habes, compendii faciam. Sic quoque jam longa est epistola. Julianum tamen familiarem domus nostræ, si quid de nobis percontandum arbitraris, allego. Simul admonéo, ut cum causam adventus ejus agnoveris, juves studium, quod ex parte fovisti. Vale.*

*Nota. Symmachus et Paulinus, quibus direxit plures epistolas Ausonius, Ausonio vice rescripserunt plures. Quas videsis sive tomo præcedenti in Epistolario Symmachii, sive ad poetas Christianos quinti sæculi, inter opera Paulini.*